

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A. Level Medieval Latin Examination

17 April 2006

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. King Ahab and Queen Jezebel Covet Naboth's Vineyard

Post verba autem haec, tempore illo vinea erat Naboth Iezrahelitae, quae erat in Iezrahel, iuxta palatium Achab regis Samariae. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: "Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est et prope domum meam. Daboque tibi pro ea vineam meliorem; aut, si commodius tibi putas, argenti pretium quanto digna est ." Cui respondit Naboth: " Propitius mihi sit Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi." Venit ergo Achab in domum suam tristis et indignans super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites dicens: "Non dabo tibi hereditatem patrum meorum ." Et proiciens se in lectulum suum avertit faciem ad parietem et non comedit panem. Ingressa est autem ad eum Iezabel uxor sua dixitque ei: "Quid est hoc, unde anima tua contristata est? Et quare non comedis panem? " Qui respondit ei: "Quia locutus sum Naboth Iezrahelitae et dixi ei: 'Da mihi vineam tuam, accepta pecunia; aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea'. Et ille ait: 'Non dabo tibi vineam meam' . "

2. Will of John Honyng of Norwich, 25 October 1419.

In Dei nomine, Amen. Ego Johannes Honyng, capellanus de Norwico, in bona memoria mea condo testamentum meum apud Norwicum xxv^o die mensis Octobris anno Domini millesimo CCCC^{mo} xix^{no} in hunc modum. In primis commendo animam meam Deo omnipotenti, Beate Marie Virgini et omnibus sanctis, et corpus meum ad sepelliendum in ecclesia Sancti Georgii ad Portas Sancte Trinitatis Norwici ante crucifixum. Et lego summo altari eiusdem ecclesie iii s. iiii d., et emendacioni eiusdem ecclesie vi s. viii d. Item lego summo altari ecclesie Cathedralis Sancte Trinitatis Norwicensis vi s. viii d. Residuum vero omnium bonorum do et lego in manus executorum meorum ad funeralia mea peragenda, debitaque solvenda ac ad cetera opera pietatis pro anima mea facienda prout melius viderint sibi Deo complacere et anime mee prodesse. Huius autem testamenti mei executores meos Dominum Johannem Thornegg, capellanum, et Ricardum Axme, sadeler, cive' Norwic', eligo et constituo per presentes. In cuius rei testimonium huic presenti testamento meo sigillum meum apposui. Dat' die, loco et anno Domini supradictis.

3. St. Columba on Whale Watch

QUADAM die, cum vir venrabilis in Iona demoraretur insula, quidam frater, Berachus nomine, ad Ethicam proponens insulam navigare, ad Sanctum mane accedens, ab eo benedici postulat. Quem Sanctus intuitus, inquit, "O fili hodie intentius praeaveto ne Ethicam cursu ad terram directo per latius coneris transmeare pelagus; sed potius, circumiens, minores secus naviges insulas; ne videlicet, aliquo monstruoso perterritus prodigio, vix inde possis evadere." Qui, a Sancto accepta benedictione, secessit, et navem conscendens, Sancti verbum quasi parvipendens, transgreditur; majora proinde Ethici transmeans spatia pelagi, ipse et qui ibi inerant nautae vident, et ecce cetus mirae et immensae magnitudinis, se instar montis erigens, ora aperuit patula nimis dentosa, supernatans. Tum proinde remiges, deposito velo, valde perterriti, retro reversi, illam obortam ex belluino motu fluctuationem vix evadere potuerunt, Sanctique verbum recognoscentes propheticum, admirabantur.

4. Hrosvit: Duke Liudulf procures the Kingdom of Italy on behalf of his father Otto I.

Hinc quoque mox aditum sibimet providerat aptum
Ipsius Italicum iuri subiungere regnum.
Hoc ubi colloquio sensit narrante paterno,
Patris amor verus, spes et gentis, Liudulfus
Non sua sollicitans, patris sed commoda tractans
Prepaucis secum sociis secreto resumptis
Italiam petiit fortique manu penetravit
Exortans patris imperio populum dare colla;
Moxque redit clarum referens sine Marte triumphum.
Quo rex comperto populis narrantibus Otto
Corde super natum leto plaudebat amandum,
Ipsius causa qui nam discrimina tanta
Audacter subiit gentem turbando ferocem.